F L O S

Vernantis Propaginis
Magnæ ſpei Adoleſcens



I O A N N E S

De Máleſzowá

GUMIENIECKI.

In Alma Vniuerſitate Cracouienſi
Copioſè loquenti ſapientiæ intentus
Magnificorum Parentum ſuorum.
VNICVM DELICIVM
Ferali Mortis Falci
Subitaneo caſu, intrá meſsis temporá
SVBIECTVS.
& dum mortales eius exuuiæ
In Eccleſia Parochiali IASINIENSI.
TVMVLARENTVR.
& magno Parentum ac Conſanguineorum cum dolore
Maiorum ſuorum monumento
IMPONERENTVR.
Funebri elogio poſteræ memoriæ

A

M. ANDREA STANISLAO BVCHOWSKI
In Alma Vniuerſitate Cracouienſi Philoſophiæ Doctore
Collegij Nouoduorſciani Dialectices Profeſſore

PRÆSENTATVS.

Anno M.DC.XC. Die 17. Auguſti

CRACOVIÆ
Typis Nicolai Alexandri Schedel Sacræ Regiæ Maieſtatis Ord. Typogr.



IMmatura mortalium rerum ſpes,
nunquàm maiori doloris tormento,
ſingultus lacrymantium proritat;
quàm dum inſperatis irrumpit caſibus.
Impatiens dolor hic & amaritudo,
etiamſi Attico dulcore, aut mellito ſolatio temperetur,
tamen acerbo ſenſu illis obuenit;
quorum cor magis, quàm oculos penetrat;
vt nullo penitus ſucco,
in ſperatæ felicitatis vim, corrigi poſsit.
Nullum ei pretium,
etiam ab opinione æſtimata ſufficit:
in ſuis ſolummodò triſtitiæ deliteſcit latebris
nulli copiam, ſui facere ſuſtinens.
Parum utiq; videntur ea, quæ fortuna ſubminiſtrat;
quòd maior caſus ille ſit,
qui tum in vrnam cadens;
pectora cordaq; premendo affligit,
tantò magis; cum minus ſperatur.
Ita quidem improba falx Libitinæ,
ſecuriſsimis ſæpè ſe immiſcet vicibus;
ut quos vitæ innocentiâ tegere aliquando poſsit,
illos vno tangat ictu ferali;
miſceatq; multorum gaudia, in lamentabilem triſtitiam.
Sic neq; meſſis, lætis ſemper gaudet horreis,
moleſtiſſimis ſæpiùs obnoxia tempeſtatibus,
agricolarum corda lancinans; ſpem illorum irritam facit.
Et quamuis roſæ cum ſpinis nos exhilarant,
cor tamen illud magis pungunt & lacerant
circa quod marceſcunt.
Dolorem nimirum partiri
in numeros poſſumus, ſed non in modum.
Vel ideò;
quòd aliis maneant impetus, alios cruciatus diſtendant.

Hanç

Hanc fatorum scenam vultumq; acerbum
Vobis mòèstissimis Parentibus
Magnifici ac Generosi,

SEBASTIANE
De Máleszowá
ET
IVSTINA
De Chrzonow
GVMIENIECCII.

præsentat:
Vestrum solatium & vnica spes,
Academicæ Iuuentutis Flos,
IOANNES, Vnicus, illeq; dilectus Filius.
Qui Florem ætatis suæ in spinas funestâ metamorphosi transformauit.
Ille spem Vestram hactenùs, latioribus votis recreabat,
en ecce: vno ictu oculi, eandem de se quauis periodo beatam,
clausit simul, & aperuit.
Magnus futuræ gloriæ surculus,
qui Patriam felicitate satiare debebat,
factus est dolorosa esuries:
cum ad satietatem dolorum, sitim extorquet fletibus;
tantam iniuriam temporis, compensare volens;
vt quem antea modico tempore dilexerant;
nunc in perpetuum doleant.
Hoc lamentabile carmen;
inter amæna Cereris, canere minimè docti,
repetitis ad frontem genis,
etiamsi extra notitiam nominis essemus
dolere ac mirari simul cogeremur.
non quidem, quòd prosperis aduersa soleant misceri,
sèd quod tam speciosam indolem,
immaturâ morte, sublatam admiremur.
Gemmis eloquentiæ facundus,
cum suaues edere fructus deberet,
in acerbum doloris cessit fructum.
Inter selectos, ad eruditionem Flores,

in AL.

in ALMA VNIVERSITATE CRACOVIENSI,
candore mentis & ingenii bonitate, præclarus,
dignus vt maturatus, odore ſuo totius Patriæ nares recrearet.
Sed eheu! præter ſpem, crudeli Morti,
in próèdam cedere coactus eſt.
Annos tredecim natus, omnem annorum numerum
à votis Patriæ obtinuit, ad quorum exitum,
tres reliquit dies, terno dolore memorandos.
ſimulq; adiit æternitatem,
vt transfiguratam Chriſti faciem
beatificâ viſione intueatur.
iamq; lætitiæ plenus. (quod piè credimus) intuetur.
Viuet multorum famâ & memoriâ, qui apud multos
amorem ſtuduit promereri.
Illius oraculum maximum vitæ ſilentium eſt,
quòd Gentilitium GRIPHVM ſuum
multis anteceſſorum geſtis glorioſum,
in mortalium animis, pro ſe,
dum gloriâ volare feciſſet,
ſui nominis fecit Vocalem.
Florebit ergo Literis, ac Patriæ,
in perennem recordationem.
Parentibus verò Mæſtiſsimis,
pro gemmeis lacrymarum guttis,
cedet in vernantiſsimum Florem.
Nobiliſsimis tandem Regionis illius Incolis,
genuinis tanti luctûs ſociis
in doloris diminutionem;
Cuius in florida ætate virtutes niueas,
cedro, & Cœlo dignas;
Auguſta Cœli Regia æternum victurâ coronet Lauro.
Tum circa Studia mille ſuſceptas ſolicitudines;
Boni SVPERI præmiatrice beatâ refundant Æternitate.



